

posita essentialiter sequitur filiatio, et connaturaliter, ita ut de potentia Dei absoluta non possit non sequi; ergo non ex vi prædestinationis, quæ est ex gratia. Sed hæc ratio ab ipso Asturicensi etiam est solvenda, quia posito Deo humanato essentialiter sequitur homo deificatus, ita ut de potentia Dei absoluta nequit fieri oppositum, et tamen ipse ponit prædestinationem inter unum, et aliud ex his; ergo hæc ratio est inefficax, et solutio est, quod est gratia simpliciter, et secundum quid necessitas, scilicet ex suppositione.

XLVIII. Nihilominus hic modus dicendi duplici via potest defendi, secundum quod dupliciter potest explicari hæc duplex formalitas. Prima explicatio est, quod formalitas subsistentis est particularis, et determinata, et præintelligitur in Persona Verbi ad formalitatem Filii, et discursus est, quod prædestinatio primo, et per se, et principaliter intendit, quod homo sit Filius Dei, et ad hoc præsuppositivè prædestinatio ponit subjectum prædestinandum, quia non supponit factum ex vi alterius actionis, et hoc fit uniendo Personam sub formalitate subsistentis, quæ præintelligitur ut prior, vel ut præsupposita ad filiationem, et hoc sufficit, quia jam fit homo subsistens, et prout sic apprehensus capax ut prædestinetur esse Filius, verbi gratia, in productione Spiritus sancti, spiratio primo, et per se, et quasi in intentione intendit communicare amorem, non naturam, propter quod non est generatio, sed quia nequit intelligi nisi præsupposita natura, prius intelligitur in executione communicata natura, quam amor, sed supposita tali communicatione naturæ intelligitur formalitas spirationis, ut per se primo terminata ad amorem, et præsuppo-

nendo subjectum, vel radicem amoris, scilicet naturam. Sic in prædestinatio in executione ponit subsistens prius, ut subjectum filiationis, et post illud intelligitur terminari ad filiationem per se primo intentam: et sicut in augmentatione, quæ est motus per se tendens ad majorem quantitatem, et ex necessitate includit aggenerationem ut præsuppositam illius substantiæ, quæ debet esse subjectum quantitatis intentæ; quod hic est duplex motus in prædestinatione est duplex virtualitas ejusdem actionis, sicut etiam in spiratione tertiæ Personæ solum est duplex virtualitas.

XLIX. Hæc explicatio nititur fundamento falso, et consequenter totus discursus ruit. Fundamentum est, quod ratio subsistentis, et ratio Filii, sint duæ rationes particulares in Persona Verbi, et una præsuppositivè intelligitur ad aliam, et quod hoc sit falsum duplici ratione patet. Prima, quod ratio subsistentis relative non præsupponitur ad filiationem tamquam determinata ratio, quia sola subsistentia absoluta, illa quæ solet poni a theologis in propria materia, præsupponitur ad filiationem tamquam ad relationem constitutivam personæ in linea relativa, et non potest inter subsistentiam absolutam, et filiationem poni alia ratio subsistentiæ relative, quia illa esset primum constitutivum Personæ Filii, et non relatio filiationis, quia primum quod intelligitur in aliquo est ejus constitutivum, hoc autem est falsum, quia relationes constituunt personas secundum communem sententiam theologorum; ergo hæc subsistentia relativa præcedens filiationem ficta est.

L. Secunda ratio, quia ratio subsistentiæ relative, ut abstrahit a tribus subsistentiis relativis, est

ratio communis, et præintelligitur ut determinabilis ad has subsistentias particulares relativæ, scilicet Patris, et Filii, etc. sicut etiam ratio personæ est prædicatum commune ad tres Personas, et ratio relationis divinæ ad quatuor relationes. Queritur ergo per quam rationem determinetur ratio subsistentiæ divinæ in communi, ut intelligatur ad subsistentiam Filii. Non est alia nisi filiatio; ergo ratio subsistentiæ solum præintelligitur, ut prædicatum commune ad filiationem, et filiatio est ratio particularis determinans, et contrahens rationem communem subsistentiæ, et hæc nomina substantia relativa, relatio divina, sunt synonyma ex parte rei, et persona solum distinguitur ab illis ut constitutum. Unde ratio filii est ratio determinans subsistentiam relativam communem, et relationem divinam communem ad hanc rationem subsistentiæ, et relationis particularis, quæ est constitutiva Personæ Filii: non ergo potest esse ratio subsistentiæ Filii ratio particularis determinata, et præsuppositivè se habens ad filiationem, sed solum ut ratio communis; ergo fundamentum illud falsum est.

LI. Secunda explicatio hujusmodi ponit, propter has rationes rationem subsistentiæ ut rationem communem ad filiationem, et quod ista ratio determinata in filiatione, et in Persona Filii, per quam Filius intelligitur subsistens, potest præintelligi quando Filius unitur humanitati prius ratione, quam intelligatur ratio Filii communicata, et per hanc præcedentiam datur capacitas ut mediet actus prædestinationis divinæ ad filiationem, verbi gratia, in opinione quod ultima dispositio ad gratiam procedit a gratia præintellecta per modum au-

xilii, ponitur in gratia duplex formalitas, una auxiliantis, et posita gratia per modum auxiliantis datur locus ad novum beneficium, et novum actum divinæ voluntatis volentis justificare, et quod communicetur subjecto ratio specifica gratiæ, scilicet, per modum justificantis, et hæc ratio auxilii præsupposita convenit gratiæ secundum rationem qualitatis, et qualitas est prædicatum genericum ad gratiam. Et bene stat, quod communicetur ratio generica prius ratione, quam specifica, non sicut ponebat Vazquez et Suarez in primo modo, sed ratio generica non abstracta, sed contracta ad rationem specificam gratiæ, et hujus individui gratiæ ibi reperitur per prædicatum hæc qualitas, hoc est, genus singularizatum, sicut si dicamus hoc animal in Petro, et illa sic contracta dicitur prius ratione intelligi communicata, quam ratio specifica.

LII. Sicut etiam in anima S. Thomas 1 part. quæst. lxxvi, articulo vi ad primum docet, quod gradus superiores communicantur prius, et inferiores post, solum secundum rationem, sed tamen cum sufficienti prioritate, ut a primo gradu causetur dispositio ad inferiorem gradum, et si hoc in physicis creatis conceditur, eodem modo potest concedi, quod communicata ratione superiori singularizata, vel quod communicata filiatione divina secundum gradum superiorem detur locus ut mediet actus divinæ prædestinationis respectu inferioris rationis. Et multa alia exempla adducuntur ad comprobandum illud principium, quod forma potest præbere effectum secundum gradum genericum, et non secundum gradum differentialem: sicut visio in lapide facit qualificatum, et non videntem, albedo in Angelo de potentia Dei absoluta posita eodem modo non

facit album, et facit qualificatum formaliter; et gratia in Christo facit gratum, et non filium adoptivum, quod etiam est effectus formalis ipsius gratiæ.

LIII. Hæc explicatio plausibilis visa est aliquibus modernis propter exempla, sed tamen innititur fundamento non minus falso, quam præcedens, scilicet, quod divina relatio, vel divina Persona possit communicari humanitati secundum rationem communem subsistentis, et non secundum rationem particularem filiationis, seu intelligi communicari secundum aliquam prioritatem rationis. Et in primis exempla, quæ adducuntur nullam convenientiam habent, et non disputando de veritate aliquorum, qui non sunt hujus loci, et in propriis materiis de vero sensu controvertitur, dato quod ita sint, ut proponitur in hoc modo dicendi, nullam inducunt probabilitatem ad præsens intentum. Quod patet, quia omnes illæ formæ sunt absolutæ, et in omnibus exemplis in quibus ponitur, quod communicetur aliqua forma secundum gradum communem in aliqua prioritate vel naturæ, vel rationis, vel duratione temporis, et non secundum inferiorem, est quia applicatur forma subjecto capaci solum gradus communis, et non inferioris pro illo priori. Patet de visione in lapide, de albedine in Angelo data tali positione sunt incapaces effectus formalis ultimi gradus: etiam gratia non dat esse filium adoptivum, quia incapax hujus filiationis est, propter filiationem naturalem, et gratia quando ponitur per modum auxilii secundum gradum qualitatis, est in subjecto nondum disposito ultimo ad formalitatem justificandi. Quod patet in prima justificatione, et etiam in augmento gratiæ idem reperitur, quamvis actus ferventior procedat

ab augmento in esse qualitatis, quia nondum est capax subjectum ejusdem augmenti per modum justificantis, nisi præintellecto actu. Idem est de anima rationali, non quando præbet superiorem gradum, quia nondum intelligitur dispositio ad inferiorem, ut patet in capillis, et unguibus, præbet vegetare, et non sentire ex defectu dispositionis; et carni præbet sentire, quia jam invenit dispositionem.

XIV. Generalis ergo doctrina est, quod nunquam forma individualis communicatur subjecto capaci tam gradus superioris, quam inferioris, et quod communicet gradum superiorem, et non inferiorem, quia licet generatio incipiat a superioribus, quia prius est substantia, postea vegetativum, postea vivens, et tandem homo; tamen quando venit forma hominis, recedit forma embryonis, et sic considerata jam forma singulari in qua continentur gradus plures singularizati, si communicetur subjecto capaci, et ad omnes gradus sufficienter disposito, non stat quod in re communicet gradum superiorem, et non inferiorem.

LV. Et ratio hujus est, quia existentia, sive in existentia juxta naturam substantiæ, vel accidentis, primo, et per se, et immediate recipitur in gradu singulari, et post in specifico, et magis remote in generico secundum quod gradus distant a singularitate; ergo implicat ponere tale individuum singulare existens a parte rei prius secundum rationem communem, quam rationem specificam, et singularem. Patet consequentia: A parte rei ponitur per existentiam; ergo quod prius recipit existentiam prius ponitur a parte rei per illam; ergo cum gradus superior non prius recipiat existentiam, sed mediis gradibus

inferioribus, non potest intelligi, quod existentia præbeat prius effectum essendi a parte rei gradui superiori, quam inferiori. Et idem est in communicatione accidentis ad subjectum, quia si non communicatur subjecto gradus inferior, non est a parte rei, quia non habet esse, nisi in subjecto communicatus, et solum quando est impedimentum gradus inferioris, poterit ejus communicatio suspendi ex defectu capacitatis.

LVI. Nec contra hoc est, quod nos incipimus cognoscere a gradibus superioribus, quia nos eximus de potentia ad actum, et sic prius attingimus imperfectum, quam perfectum: sicut etiam generans, quod exit de potentia ad actum prius generat imperfectum, quam perfectum, sed semper est ex defectu capacitatis subjecti, quia dispositio etiam paulatim introducit, et noster intellectus paulatim etiam disponitur. Non loquimur in hoc casu, nec in hoc sensu fit sermo, sed solum conditionaliter si ponatur forma in subjecto capaci omnium graduum, in tali casu est certa ista doctrina, et quia omnia hæc exempla non procedunt in tali suppositione, sed quando deficit dispositio ad ultimum gradum, ideo non habent paritatem ad intentum.

LVII. Quod hac ratione demonstratur ex dictis. In nostro casu, quando divina Persona Filii unita fuit humanitati, communicata fuit subjecto capaci, et æqualiter disposito ad gradum superiorem, quam ad gradum inferiorem; ergo æqualiter communicavit gradum superiorem, et inferiorem, et si aliqua prioritas est, etiam intelligentiæ, non est in gradu superiori, sed in inferiori. Consequentia patet ex doctrina tradita, quia gradus inferior prior, et proximior est existentia, quam superior. Antecedens probatur:

Humanitas non aliter disponitur ad unionem hypostaticam, nisi per potentiam obedientialem, et gratuitam Dei voluntatem, sic volentis facere, ut habet S. Thomas supra quæstione II, articulo X.

LVIII. Confirmatur optimo exemplo: Quamvis homo generans hominem attingat prius gradum superiorem, quam inferiorem, quia est agens imperfectum exiens de potentia ad actum, et operans dependenter a dispositione subjecti, tamen Pater æternus generans Filium non prius intelligitur generare rationem communem, quam singularem, sed si aliqua prioritas intelligitur a nobis, debet esse in ratione particulari propter contrariam rationem, quia ibi non operatur exeundo de potentia ad actum, et cum dependentia a dispositione subjecti; sed in incarnatione Verbi sic Deus operatur, quia est quædam communicatio generationis æternæ, propter quod de illa dicitur: *Ego hodie genui te*; ergo in illa non proceditur de imperfecto ad perfectum, de superiori gradu ad inferiorem, sed immediate inferior communicatur humanitati. Ruit ergo totus iste discursus.

LIX. Secundo, impugnatur adhuc efficacius: Illa ratio subsistentis non est absoluta, quia unio primo facta fuisset in natura, quod est falsum, quia constat ex supra dictis factam fuisse in persona; est ergo illa ratio subsistentis relativa communis tribus Personis; ergo includit ad et in. Patet, quia in solum non est persona, neque est relatio, sed inadæquata ratio relationis, et ab adæquata relatione Patris, et Filii abstrahitur ratio communis relationis, et a ratione completa istius, et illius Personæ abstrahitur ratio personæ, et sic si ratio subsistentis concipitur ut communis ad Patrem, et Filium, debet esse abstracta secundum ad et in, quia

secundum in et ad contrahitur, et determinatur ad illos. Loquimur enim de persona completa relativa, et de relativo divino completo, imo et de completa relatione, et sic prædicatum commune debet esse etiam completum in illa linea, hoc est, includens in et ad. Igitur si includit ad, debet respicere aliquem terminum, et cum sit ratio exercita, ad aliquem terminum debet referri. Inquirimus de termino ad quem, quia vel est Pater secundum formalitatem patris particularem, et hoc non potest fieri, quia ad illam formalitatem refertur alia ratio particularis, scilicet filiationis, quia Pater, et Filius secundum explicatos, et formales conceptus paternitatis, et filiationis mutuo se respiciunt, et referuntur ad invicem, quia prout sic opponuntur formaliter.

LX. Si dicatur, quod refertur ad aliud prædicatum commune existens in Patre, contra est, quia in hoc prædicato non opponuntur, quia est prædicatum commune, et in prædicato communi potius conveniunt, et sic non possunt mutuo se respicere, nec referri, si quidem neque opponi.

LXI. Confirmatur: Si secundum prædicatum commune subsistentis relativi intelligitur a parte rei, vel terminat paternitatem Patris, vel non terminat: si terminat; ergo opponitur, quia solum terminat secundum rationem oppositi, et hoc est falsum, quia est prædicatum commune: si non terminat, non est relatium, vel assignetur ad quem terminum formaliter intelligitur ratio paternitatis pro illo priori terminari. Non ad rationem filii, quia pro illo priori non intelligitur ratio filii, quæ est particularis; nullum ergo assignatur relativum oppositum paternitati pro illo priori, nec intelligitur referri ad aliquem ter-

minum illud subsistens relativum singulare; fide ergo ponitur.

LXII. Confirmatur secundo: Illud subsistens singulare, vel est distinctum a Patre, vel idem cum Patre. Si idem cum Patre, non est capax ut prædestinetur ad filiationem, quia hoc repugnat Patri: si distinctum a Patre; ergo oppositum illi per relationem, quia in divinis: Omnia sunt unum, ubi non obstat relationis oppositio: sed filiatio particularis, est relatio opposita Patri; ergo jam intelligitur particularis ratio, scilicet filiatio; ergo non sola ratio communis.

LXIII. Nec valet si dicas, quod solum probatur de Persona Filii in natura divina, non in natura humana, quia secundum quod facit humanitatem subsistentem, et quod sit homo subsistens, non est subsistens absolutum ille homo, quia est subsistens per prædicatum subsistentiæ diviniæ relativæ commune tali, vel tali relationi diviniæ, includens in et ad etiam in illa ratione communi; ergo ille homo est subsistens relativum: reddit ergo totum argumentum, ad quem terminum refertur? Cui correlativo opponitur? Quam relationem terminat sub hac formalitate? Cum igitur totum hoc non possit designari propter argumentum factum, patet quod est fictum hoc subiectum.

LXIV. Declaratur hoc exemplo de relativo in humanis. Pater, et filius in creatis conveniunt in ratione communi relativi, quia ab utroque abstrahibile est prædicatum relativi in quantum sunt particularia relativa, et tale prædicatum commune etiam reperitur contractum in filio, verbi gratia, si ergo consideretur in filio non ratio ultima filiationis, sed prædicatum relativum contractum, et singularizatum in filio, et inquiratur tale prædicatum quod includit in et ad, quia alias non

esset integrum relativum, semper cum instamus in hoc, quod ab in et ad particulari patris et filii, abstrahibilis est ratio communis in et ad relativi, et de hoc fit argumentum, ad quod terminatur? Non ad patrem, quia non est filiatio, et sola filiatio refertur, et opponitur paternitati, nec terminat paternitatem, quia non filius per illum, fide considerabitur illud prædicatum commune communicatum alicui subiecto, non communicata ratione particulari. Ex quo patet, quod non est simile de formis absolutis, et hic involvitur specialis implicatio in hac explicatione.

LXV. Ultimo impugnatur: Prima unio incarnationis facta est immediate in Persona; sed ille gradus communis non constituit personam particularem, sed solum gradum communem personæ; ergo si illi gradui est primo unita humanitas, unio facta est in ratione communi personæ, ergo non magis in Persona Filii, quam Patris, si quidem est gradus communis utriusque.

LXVI. Si dicatur, quod si esset unio facta in illa ratione communi personæ in abstracto, et quasi præintellectæ ante contractionem ad aliquam determinatam personam, convinceret hoc argumentum; sed quia ponitur jam contracta in Filio, unio facta est in Persona Filii, quamvis secundum prædicatum commune in illa repertum.

LXVII. Sed contra est: Illud prædicatum specificative concretum in quo ponitur unio facta, quatenus terminat unionem formaliter, vel includit aliquid distinctivum a Patre, vel non. Si non, ex vi talis unionis pro illo priori non potest intelligi unio facta in aliquo distincto a Patre; sed in aliquo in quo Filius cum Patre convenit; ergo pro illo priori non est facta unio in Persona Filii, quam Patris. Si ponatur aliquid

distinctivum a Patre in illo termino formali unionis, jam pro illo priori intelligitur filiatio terminare formaliter, et non ratio communis. Et hæc est veritas ex qua sequitur, quod falsum est fundamentum hujus explicationis, et consequenter hic quintus modus dicendi nulla via defendi potest.

SEXTUS MODUS DICENDI PONENS FILIUM PROUT INCARNATUM, SUBJECTUM, ET EUMDEM FILIUM PRO TERMINO AD QUEM, EXPLICATUR, ET DEFENDITUR.

LXVII. Sextus modus dicendi ponit, quod Filius Dei secundum rationem determinatam, et actualem et ultimam filiationis, secundum quod unitur humanitati, intelligitur prius humanatus, vel incarnatus, quam intelligatur ille homo deificatus, seu Filius Dei, et secundum primam considerationem est subiectum prædestinationis, et ratione alterius est terminus. Hunc modum dicendi sequuntur communiter Thomistæ cum S. Thoma cujus verba allata sunt articulo præcedenti ad ultimum; Asturicensis pagina 962; Cabrera hic art. II, disputatione unica ad octavum; Nazarius controversia II cum Alvarez, et sequuntur recentiores. Et quamvis variis terminis explicent, tamen in re idem dicunt; sicut etiam et nos loco citato primæ partis de prædestinatione, disp. VII, art. I, num. VIII, quod hic amplius intendimus declarare.

LXVIII. Pro ejus intelligentia advertendum est, quod aliqui moderni Thomistæ ad explicandum hunc modum utuntur illa doctrina communi, quam adduxit S. Thomas supra quæstione II et III, quod unio humanitatis fuit immediate facta